Sacerdos horum omnium executor, cum presens esset, iuramento hoc confirmare, ut nulla remaneret dubietas, rogabatur. Quod ille ~~alacritor~~ adimplevit. Ipsi preterea principes predicti exigente hoc ab eis archiepiscopo in reliquiis iuraverunt a torneamento perpetuo abstinere nec usquam in omni dicione sua huiusmodi exercicium permittere homines que suos et ministeriales ab eo modis omnibus cohercere. Sicque demum archiepiscopus mortuo sepulturam concessit, salva tamen sedis apostolice auctoritate. Unde factum est, ut ~~tamdem~~ sepultura careret, donec unus militum familiaris Wernerus nomine consensum de hoc summi pontificis reportaret, qui etiam transmarinam peregrinacionem pro ipso postmodum pergens fidelem se ei manifestis indiciis declarabat sepultusque fuit in Sereno Monte XV Kl. Februarii ante introitum ecclesie maioris ad occidentalem partem ecclesie, iuxta quem in ecclesia postea predictus Wernerus miles suus requiescit. Obtulit preterea Theodericus marchio pro anima filii sui X mansos in villa, que Marggravendorp dicitur. Theodericus itaque herili pignore se privatus dudum post separatus fuit cum uxore sua Dobergena, sed illa adhuc vivente aliam quasi superinduxit sibi uxorem, scilicet Konegundam nomine relictam Bernhardi comitis de Plotzke, ex qua genuit Theodericum Merseburgensem episcopum. Anno igitur M°CC°LXXXIII° in festo penthecostes imperator ~~Fredericus~~ filium suum Heinricum regem fecit. Ubi multis principibus convocatis affuit inter eos et Theodericus marchio, filius Conradi, qui ibidem Moguncie egritudinem incurrebat, qua longo tempore detentus est. In vigilia vero beati Thome, ex post in Montem Serenum de castro

alacriter

= tamdiu

(eius

ecclesie ~~(in eadem eccl. ?)~~

+ f. CCLXXI b.

Fredericus

est in = Ex post